



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Persæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

A ferendum aservabat quamvis hoc nonnulli ad minas referant, quod arcus inter alia significat, minarum etiam signum sit. Unde Horatius:

*Nec semper feriet quodcumque minabitur arcus.*

*De arte poetica.*

CONTRARIETAS. CAP. XIV.

Ubi tamen sagittæ duæ parallelari positu jacentes animadverse fuerint, quarum cuspides altera ad alterius pinnas vicissim convertantur, presentaneæ contrarietatis signum esse volunt.

FRAC TA BELLI FEROCIA. CAP. XV.

Quemadmodum vero arcus intentus belli signum est, ita fractus sublatam belli ferociam ostendit. Et in ostentis eodem accipitur significatio: veluti quod in recentiorum historiis legitur, ea nocte, qua Rex Attila sanguinis eruptione, quæ profluvio effusissimo de naribus emissa est, suffocatus & extinctus est, supremum numen Martiano Imperatori apud Constantinopolim agenti apparuit in somniis, arcumque Regis defuncti relaxatum, ut alii fractum, ostentare visus est, quod de bellica ejus ferocia jam extincta signum fuit. Et in Divinis literis scriptum est, Deum eorum contere-  
re. *Regis Attilæ mortis augurium, Psal. 46.*

PERSÆ. CAP. XVI.

Ab eo vero armorum genere, quo Persæ plurimum utuntur, sagittas numis Darius impressit: sive ita gentem suam significare voluerit, sive potentiam suam late diffusam indicare. Nam & in Artoserxis numo sagittarius miles cufus erat, eaque de causa numi illi Sagittarii vocitabantur, ut Plutarchus in Apophthegmatis. Unde non infacete dixerit Agefilaus, triginta se millibus Sagittariorum Asia pulsum, cum ea summa Rex corruptis per Timocratem Atheniensibus effecisset, ut bello adversus Lacedæmonios concitato is provincia decederet. Quod quidem dicerium proxime accedit ad Gylippi Noctuas, de quibus loco suo. *Darii & Artoserxis numi, Agefilæ dicitum.*

PESTILENTIA. CAP. XVII.

Sagittas autem Apollinis in Græcos immittas, pestilentiam manifestissime significasse nulli dubium, de quibus late apud Homerum. Hæ vero hieroglyphice solares radios indicant corrupto cæli tractu contagem illam dispergentes. Et Christiana pietas è divinorum numero Sebastianum sagittis impetitur, dum Christo fidei testimonium præstat, adversus pestilentiam sibi tutelarem proposuit.



*D. Sebast. tutelaris pestilentie.*

DAMNATIO. CAP. XVIII.

Sunt qui telum in sagittæ cuspidem ita figuratum damnationis signum esse autement, aut explodendum summo vendumve aliquod inepte dictum in scriptis: id quod Aristarchi summi Grammatici judicio inter hieroglyphica receptum est, quod eo ille signo usus sit in adulterinis apud Homerum carminibus summo vendis.

DE HASTA. SAPIENTIÆ VIS. CAP. XIX.

Quod Palladem armatum ubique conspicimus, indicat, arma parum proficere, nisi quæ per sapientiam administrantur: nam stulto præcipiti que ingenio Imperatores, quot & quantas & sibi & Reipubl. calamitates attraxerint, ut alia dissimulem, clades illæ insignes ad Trebiam, ad Thrafinum, ad Cannas acceptæ, facile ostenderunt. Porro autem hasta in manu Palladis, ingenii vim atque promptitudinem ostendit. Unde apud Martianum legas,

*Hasta etiam vivens penetrabile monstrum acumen.*

FAMA.